2.

Latinè composuit J. C.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HYSTERIA.

2

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HYSTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQ. E IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JACOBUS S. KERR,

JAMAICENSIS,

Societ. Reg. Phyſ. Edinburgen. Soc. Hon.

" *Huc ades, et tenerae morbos expelle puellae :*
" *Huc ades, intonſa PHOEBE ſuperbe coma*
" *Crede mihi, propera ; nec te jam, PHOEBE, pigebit*
" *Formoſae medicas applicuiſſe manus.*"

TIBULL *Eleg.* lib. iv. Eleg. iv.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,XCIV.

GULIELMO WRIGHT, M.D.

ET F. R. S.

VIRO INTEGERRIMO,

ET

MEDICO PERITO,

CUI

PLURIMA DEBET,

HOC OPUSCULUM

GRATO ANIMO

D. D. C.QUE

JACOBUS S. KERR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYSTERIA.

Auct. JACOBO S. KERR.

PROLUSIO.

§ I. VIRORUM res agitur, quoties morbis plectuntur foeminae. Harum abſque conſortio, quàm miſeranda eſſet illorum vita? Neque profectò eſſent, quae illis curarum amara riſu temperarent, neque quibuſcum animi conſociarentur liberorum pignoribus. Ni fuiſſent foeminae, inarata etiamnum

ſqualuiſſet TELLUS; THETIS fuiſſet ratibus intentata; nondum BACCHO vitis dicata fuiſſet, nondum VENERI gratiſſima myrtus; nequedum flavae CERERI maturata fuiſſet meſſis, necdum pomifero ſacratae ſuae pomi AUTUMNO; nondum MINERVÆ oliva, nondum APOLLINI laurus.

II. Quinimo, ni fuiſſent foeminae, nullae etiamnum fuiſſent conditae urbes; nullae ſancitae leges; nulla omnipotenti JOVI ſacrata templa; nulla armigero MARTI; nulla caſtae DIANÆ.

Ni eſſent foeminae, ni pectora pertentarent amores, vaſta ubique ſolitudo eſſet mundus, ubique torpor, ubique ſocordia, plurima ubique miſeriae imago; nuſquam hilaritas, vigor nuſquam, nuſquam virtus. Homines, ſi abſque foeminis homines revera eſſent, vitam tranſirent, veluti pecora prona ventrique obedientia,

tia, inambitioſi, incompti, inornati, neque literis imbuti, neque emolliti artibus.

III. Quid homines ex timidis fortes fecit, quid ad mortem aſpernandam, atque gloriam praeclarorum facinorum affectandam rectâ virtutis viâ, incitavit? Quid, rogas? illa omnium caritatum optima, *amor;* qui, ut veriſſimè cecinit Poeta,

" —— *Aids the hero, bids ambition riſe*
" *To nobler heights, inſpires immortal deeds,*
" *Even ſoftens brutes, and adds a grace to virtue* *."

Quàm concinnè, quàmque diſertè interrogat divinus ROUSSAUVIUS? "L'amour en lui-
" même eſt-il un crime? N'eſt-il pas le plus pur
" ainſi que le plus doux penchant de la nature?
" N'a-t-il pas une fin bonne et louable? Ne dé-
" daigne-t-il pas les ames baſſes et rampantes?
" N'anime-

* Vid. THOMSON'S *Sophoniſba*, act v. ſc. 2.

" N'anime-t-il pas les ames grandes et fortes? " N'annoblit-il pas tous les ſentimens? Ne " double-t-il pas leur être? Ne les éleve-t-il pas " au-deſſus d'elles mêmes *?"

IV. Cùm ita ſit, quid, obſecro, miri eſt, ſi juvenis paululùm forſan mulieroſus, ut mos eſt, qui nihil foeminei mali a ſe alienum putat, de *Hyſteria*, qua tam ſaepe plectuntur amabiliſſimaę quidem puellae, perpauca, ſi modò eum aſpiciant, et huic primo ejus labori aſpirent APOLLO, VENUS, DIANA, atque caeteri, ſiqui ſint, Dii Diaeque quibus maximae curae ſunt tenerae virgines tenellaeque puellae, quàm poſſit nitidiſſimè dicat.

DEFINITIO.

V. *Hyſteria* a CULLENO aptè definitur hiſce verbis: " Ventris murmura; ſenſus globi in ab-
" domine

* Vid. J. J. ROUSS. *La Nouvelle Heloïſe*, cinq. part. Lett. xiii.

" domine ſe volventis, ad ventriculum et fauces
" aſcendentis, ibique ſtrangulantis; ſopor; con-
" vulſiones; urinae limpidae copia profuſa; ani-
" mus, nec ſponte, varius et mutabilis *."

QUÆDAM DE SEXU, &c.

VI. *SEXUS.*—1. *Hyſteria* foeminas potiſſimùm implicat. Profectò omni ferme tempore rati ſunt medici, eam e genitalibus foeminarum organis malè ſe habentibus, maxima ex parte, pendere. ARETÆO viſa eſt effici ab utero ſurſum quaſi migrante a propria ſede, uſque ad ventriculum et etiam fauces †: perridiculam autem hanc anilemque opinionem medici jamdudum aſpernati ſunt. CELSUS quoque *hyſteriam* enumeravit

* Vid. CULLEN. *Synopſ. Noſolog. Method.* tom. ii. gen. LXIII.

† Vid. ARET. CAPPADOC. *de Cauſ. et Sign. Morb. Acut.* edit. LUGDUN. BATAV. ann. M,DCC,XXXI. lib. ii. cap. XI.

enumeravit inter morbos, qui ex vulva ſive utero naſcuntur *, ſed proprio nomine neutiquam inſignivit. Recentiores itidem auctores, in primis CULLENUS†, eam cuidam genitalium conditioni tribuunt. Ita reapſe eſſe, veri etiamſi ſit quàm ſimillimum, tamen, quae ſit haec conditio, ab omnibus etiamnum medicis prorſus neſcitur.

2. Caeterùm non foeminas ſolas *hyſteria* invadit. Eâ etiam mares interdum plectuntur ‡; quippe cùm nonnunquam ſignis ejus haud ambiguis, imprimis ſenſu alicujus ſeſe ſurſum flexuoſâ inteſtinorum, ventriculi ſtomachique viâ, ad fauces

* Vid. CELS. *de Medicin.* edit. *Almeloveenian.* LUGDUN. BATAV. ann. M,DCC,XLVI. lib. iv. cap. XX.

† Vid. CULLEN. *Firſt Lines*, § M,D,XX.—M,D,XXI.

‡ Vid. WILLIS. *Oper. Omn.* edit. ſtudio et operâ GERARD. BLAS. AMSTELODAM. ann. M,DC,LXXXII. *Tractat. Prim.* de *Morb Convulſiv.* cap. X.

SWIETEN. *Comment.* edit. ſecund. LUGDUN. BATAV. ann. M,DCC,LV. tom. iii. p. 417.

CULLEN. *Firſt Lines*, § M,D,XVII.

fauces uſque, volventis, hìcque quaſi ſtrangulantis, vexentur. Quos potiſſimùm viros infelicitat, ii ſunt ſedentarii, quive in literas intenti, concubiâ nocte chartis impalleſcere ſolent *. Notandum eſt quoque, nunquam mares adeo, ac foeminas, graviter afficere †.

VII. *ÆTAS.*—1. Hoc morbo nunquam ferme ante pubertatem tentantur foeminae; quippe quibus organa genitalia, ex ſpeciali quorum conditione, magna ex parte, imo interdum fortaſſe omnino, pendeat, nondum ſeſe explicaverint. In eas autem, ex quo tempore maturuerint, dum triginta quinque compleverint annos, identidem incidit ‡, potiſſimùm iis circiter temporibus quibus menſes erumpunt ‖.

2. Verùm

* Vid. SYDENHAM. *Oper. Univerſ.* edit. LUGDUN. BATAV. ann. M,DCC,XXVI. p. 388.

† Vid. CULLEN. *Firſt Lines*, § M,D,XVII.

‡ Vid. ARET. CAPPADOC. de *Cauſ. et Sign. Morb. Acut.* lib. ii. cap. XI. ſub fin.

‖ Vid. CULLEN. *Firſt Lines*, § M,D,XVII.

2. Verùm, licèt ita (vii. 1.) plerumque ſit, interdum tamen, ut perhibent medici, et hi quidem nobiles, non ſolùm immaturae puellae, ſed etiam effoetae mulieres, *hyſteriâ* plectuntur. Fert enim WILLISIUS, ſe vidiſſe cùm virgunculas impuberes, tum vetulas quibus jam defecerant menſes, hoc morbo tentari *. A DELIO quoque accipimus, mulierem quadraginta ſex annos natam, cui menſes redundare ſolebant, quaeque *leucorrhoea* laborabat, ſignis *hyſtericis* correptam eſſe †. Haec autem ſigna, ut poſtea compertus eſt, vermes concitaverant; neque profectò vero abſimile eſt, *hyſteriam*, quoties puellas immaturas aut vetulas tentet, morbum ſecundarium eſſe, qui alii morbo ſupervenerit.

VIII.

* Vid. WILLIS. *Tractat. Prim.* de *Morb. Convulſiv.* cap. X.

† Vid. DEL. *Amoenitat. Acad.* p. 341. *Caſ. Tert.* SAUVAGES. *Noſolog. Method.* tom. i. p. 587. edit. AMSTELODAM. ann. M,DCC,LXVIII.

VIII. *TEMPERAMENTUM et HABITUDO.*—1. Foeminae, quas tentat *hyſteria*, plerumque ſunt temperamento perquam ſanguineo. Quinetiam ſanguine nimis ferè plenae ſunt; et profectò, prae caeteris, haud rarò adeo robuſtae, ut, viraginum inſtar, mares vigore ſimulent *.

2. Aliàs autem *hyſteriá* plectuntur foeminae molles et corpore delicatiores, quae parum exercitatae, otio et voluptatibus vitam degunt †. Tales enim foeminae mobiles adeo ex debilitate ſunt, ut earum animi, leviſſimis etiam cauſis, mirum in modum, commoveantur. Nunc iram colligunt, nunc ponunt temerè: modò ſpe eriguntur; modò injuriis etiam leviſſimis contumeliiſve laceſſitae, irâ exaeſtuant.

* Vid. CULLEN. *Firſt Lines*, § MDXVII.

† Vid. SAUVAGES. *Noſolog. Method.* Claſſ. iv. Ord. iv. Gen. *Hyſter.*

3. Interdum, quas foeminas adoritur *hyſteria*, eae caſtae DIANÆ monitis parum obtemperantes libidine flagrant, inconceſſamque voluptatem temerè concupiſcunt, parum, ah parum! opinantes, quanto poſtea pudore, ob virgineam culpam, erubeſcant. Quoties ex effraena libidine enaſcitur morbus, de quo diſputamus, *hyſteria libidinoſa* *, neque profectò ineptè, a medicis appellatur.

IX. *REGIO.*—Ubique forſan orbis terrarum, foeminae interdum *hyſteriâ* vexantur: ſed, utrùm in frigidis regionibus, an calidis, ſaepius plectantur, animo dubii ſumus. Ex rerum autem inter ſe ſimilitudine ſi nobis ratiocinari liceret, foeminas in calidis regionibus ſaepius *hyſteria* tentari idcirco crederemus; quòd hìc illae, prae debilitate et laxitate quas calor effecerit, ſunt

* Vid. SAUVAGES. *Noſolog. Method.* Claſſ. iv. Ord. iv. Gen. *Hyſter.* Spec. vi.

CULLEN. *Firſt Lines*, § MDCCXVII.

ſunt irritabiliores ferme et animo mobiliores: quapropter, iis faciliùs afficiuntur cauſis, quae *hyſteriam* concitare ſolent.

X. *ORDO.*—Ubique gentium, huic morbo patent foeminae potiſſimùm ſplendidae et honeſto loco natae; utpote quibus otioſè et luxurioſè viventibus, multamque ſaepenumero in noctem vigilantibus, ſint corpora laxa et debilia, quae levibus etiam cauſis facilè, et mirum perſaepe in modum, commoventur.

XI. His (vi.—x.) de ſexu, aetate, temperamento, habitudine, regionibus, et ordine foeminarum, quas, prae caeteris, invadere ſolet *hyſteria*, praemiſſis; nunc, quibus praenuncietur *hyſteriae* acceſſio notis, et quae ipſam hanc inſigniant, eas quàm pauciſſimis enarrare aggrediemur.

DE

DE SIGNIS PRÆNUNCIIS.

XII. Quod ad ſigna attinet, hic morbus adeo varius eſt, et quaſi multiformis quidem, ut ei in diverſis foeminis, et in eâdem profectò foeminâ diverſis temporibus, vix unquam eadem prorſus facies ſit. Quocirca, ea certo et lucido ordine recenſere neutiquam ſatis valent humeri noſtri.

XIII. Interdum foeminas ſubitò et inopinanter corripit *hyſteria;* aliàs autem acceſſio ejus praenunciatur morbidis univerſi ferme corporis affectionibus, quae, haud ſecùs ac eae, quae ſeſe, inter acceſſionem, oſtendunt, aliis atque aliis temporibus foeminiſque, aliae ſunt.

XIV. Ante acceſſionem, omnia ferè organa, quae

quae variis perfunguntur muneribus, ſe malè habent.

XV. *FUNCTIONES ANIMALES.*—1. Toto corpore langueſcit foemina et laſſeſcit; artubus tremiſcit; extremis membris frigeſcit, etiamque interdum rigeſcit; motum ferme omnigenum averſatur, vel ſaltem aegerrimè concipit.

2. Senſus ſua ſimul mala habent. Viſus enim, necnon auditus, hebeſcit: aures tinniunt: oculi obvia quaſi muſcarum volitantium, colorum, ſcintillantium quorundam coruſcantiumve, nubecularum, aliarumve rerum ſimulacra percipere videntur; neque profectò rarò illachrymant. Senſus, porrò, interni plerumque haud immunes ſunt. Appropinquante enim *hyſteriâ*, foemina, de improviſo, atque ex evidente nulla cauſa, fit moeſta, meditabunda; taedio habet omnia; neque ulla vix re delectatur.

XVI.

XVI. *FUNCTIONES VITALES.*—1. Organa itidem, quae vitalia appellantur, ſolitis muneribus ritè perfungi nequeunt. Cor enimvero interdum leviſſimis etiam cauſis palpitat ignea quaſi celeritate; interdum micat ſolito tardiùs: quam ob rem, arteriarum ictus modò ſunt crebri admodum, modò perquam rari.

2. Spiritus quoque, ob organa quibus perficitur malè ſe habentia, malè ſe habet. Profectò enim anima accipitur viciſſimque redditur cum difficultate et labore; et leviſſima quidem exercitatione celerrimè reciprocatur.

3. Quin et cerebrum plùs minùſve labaſcit et fatiſcit. Animo varia et mutabilis foemina facillimè commovetur et perturbatur; varias in partes rapitur; conſilii incerta; meticuloſa; malorum ſuſpicax; rerum ſuarum trepida. Noctes inſomnes agit; et inquieta, huc illuc, corpus jactat, brachiaque diſpergit. Gratus ſomnus, ſiquando

ſiquando obrepſerit, terrificis plerumque imaginibus, ſuppreſſionibuſque nocturnis diſrumpitur. Quinimo foemina, imminente quaſi gravi periculo trepidata, haud rarò dictis citiùs e ſomno exilit.

XVII. *FUNCTIONES NATURALES.*—Ipſis inſuper organis, quorum eſt naturales functiones abſolvere, ſua ſunt mala; quae, in propinquo eſſe *hyſteriam*, praenunciant. Cibi appetentia minuitur: alvus compreſſa eſt: urinae et meatibus et fiſtulâ, praeter ſolitum, irritatis, perpetuum ferme mingendi deſiderium eſt; et limpida ideo urina, plenoque ſimul rivo, effluit: ſalivâ os, nocturnis ſaepe ſudoribus ſaepius adhuc matutinis cutis, praeter ſolitum, permadent.

XVIII. *SENSUS MOLESTI.*—Haud, demum, rarò foemina de aegritudinibus multarum corporis partium doloribuſque aliquantò antè conqueritur, quàm hyſteriâ plectatur. Atrociſ-

ſimè

fimè dolet modò totum caput, modò dimidium; neque rarò exigua ejus pars acutiſſimo dolore, veluti ex adacto clavo, cruciatur. Hujuſmodi dolor, ex fictae cauſae ſimilitudine, eſt a medicis *clavus hyſtericus* appellatus. Graviſſimè interdum dolent oculi, et videntur ex orbitis quaſi erupturi. Iſtiuſmodi dolores interdum remittunt; et, tempore interpoſito, denuo, praecipuè manè, graveſcunt. Caeterùm, dolore interdum nullo, modò frigus caput permanare videtur, modò permeare calor.

DE SIGNIS ACCESSIONIS.

XIX. Acceſſionis ſigna utique plurima ſunt; quorum alia ad *FUNCTIONES ANIMALES* reſpiciunt; alia ad *VITALES;* alia, demum, ad *NATURALES.* Praeter autem hujuſmodi notas, *hyſteria* inſuper inſignitur aegritudinibus quibuſdam doloribuſve, et manifeſtarum quarundam

dam qualitatum depravatione. Haec ordinatè, at ſimul diſtinctè et compreſſè, enarrare conabimur.

XX. *FUNCTIONES ANIMALES.*—1. Brevi pòſt tempore, quàm *hyſteria* acceſſerit, ſenſus externi, globo jam faucibus quaſi urgente, magna ex parte, imo ferme omnino, feriantur; atque aegra, ſenſûs propè expers, ſtupeſcit. Modò oculi, nubeculis quaſi obductis, hebeſcunt; modò caligant; modò, ex toto, clauduntur; modò res obvias, naturâ ſimplices, duplices vident. Nares ingratos odores concipiunt. Aures ſimul perquam tinniunt; neque rarò aegra ſurditate afficitur.

2. Motus quoque, quatenus ſaltem ex voluntate pendeat, inter acceſſionem ferme nullus eſt; neque profectò priùs reviviſcit, quàm acceſſio remiſerit.

XXI. *FUNCTIONES VITALES.*—1. Cor mobiliter ſaepe palpitat; atque arteriae modò imbecilliter, duriter, et inaequaliter micant; modò earum percuſſus vix omnino ſentiri poſſunt. Langueſcentibus corde et arteriis, ideoque ſanguine non ſatis copioſè propulſo, corporis membra extrema palleſcunt primùm, deinde frigeſcunt; neque rarò artus rigidi fiunt, imo interdùm immobiles.

2. Spiritus imbecillus eſt, frequens, et difficilis. Ægra ſimul tuſſi ſiccâ moleſtiſſima admodum vexatur; neque rarò ſingultibus ſonum, qualem gallina glociens, edit; aliàs autem vox omnino intercidit, neque, ante finitam ferme acceſſionem, redit.

3. Cerebrum quoque torpeſcit, ſuiſque muneribus impar evadit. Ægra hoc morbo colluctans, interdum ſomniculoſa eſt; ſaepius autem pervigilat, vel, ſiquando obdormiverit, ſubinde de ſomno

ſomno excitatur; terrifica in quiete videt; haud rarò ſuppreſſionibus nocturnis gravatur. Hae foeminae lachrymantur; illae rident; aliaeque, id profectò quod rariùs accidit, lachrymantur ridentque alternatim. Aliis totum corpus convellitur; aliis muſculi crurum tantùm et brachiorum motibus ſubitaneis ſubſiliunt. Saepenumero, membris non contractis, vel omnia ſimul, vel deinceps, plectuntur ventriculus, inteſtina, guttur, imum abdomen, ipſumque caput. Aliae correptae, ubique ferme corporis, convelluntur ſic, ut cum morbo quaſi comitiali colluctari videantur. Alterutra plerumque manus, caeco quaſi furore mota, mollia pectora, eheu tenerorum amantium oppreſſiunculis aptiora! neſciis interea miſerandis aegris, crebris ah nimis ictibus plangit.

XXII. *FUNCTIONES NATURALES.*— Dum *hyſteriâ* conflictantur foeminae, ea itidem laborant organa, quorum eſt aſſumpta alimenta concoquere,

concoquere, atque ſecretionem et excretionem perficere.

1. Ineunte acceſſione, praeter ſolitum, inflantur inteſtina, et murmurant. A ſiniſtra et inferiore parte abdominis, prae caeteris, turbatur; unde globus, flexuoſo et erratico quaſi inteſtinorum alveo, ad ventriculum uſque, modò ſubitò, modò tardè aſcendit; ubi nauſeam, imo haud rarò etiam vomitionem, movit. Neque profectò hìc remoratur. Viâ ſtomachi, fauces petit; quibus, ſimul atque potitus eſt, adeo meherclè urget, ut aegra non ſolùm devorare nequeat, ſed etiam, ſpiritu ferme intercluſo, haud multum abſit, quin ſuffocètur.

2. Compreſſa interea eſt alvus; atque adeo contrahitur muſculus, cujus eſt anum claudere, ut et flatum intus coerceat, et tenuiſſimum etiam clyſterem neutiquam intromittat.

3. Inter

3. Inter acceſſionem, nihil urinae redditur. Profectò aliquando aegra, perinde ac ſi laborabat renum inflammatione, de horum dolore conqueritur. Ei quoque dolet interdum cervix veſicae, qua urina continetur.

XXIII. 1. Haec ſunt praecipua ex ſignis, quae, inter acceſſionem *hyſteriae*, prodeunt. Eſt autem intelligendum, acceſſiones in diverſis foeminis multùm variare. Interdum paucis momentis finiuntur: interdum in unam, imo complures horas, protrahuntur: interdum perducuntur in aliquot dies: demumque, quod in primis mirandum eſt, interdum adeo in longum trahuntur, ut aegrota habeatur pro mortua, et ſepulchro condatur *.

2. Non autem diuturnitate tantùm acceſſionis, ſed etiam ſaevitiâ, hic morbus variat. Modò

* Vid. HOFFMAN. *Oper. Omn.* tom. iii ſect. 1. cap. V. § 17. *De Morb. Convulſiv.* edit. GENEV. ann. M,DCC,XL.

dò enim ſigna lenia ſunt, ex quibus aegrota nihil ferme detrimenti capit; modò graviſſima, ex quibus ea in periculo haud levi verſatur. Hujus generis ſunt maxima vis doloris in capite; oculorum caligo; aurium aliquando tinnitus moleſtiſſimus, aliquando ſurditas. Quinetiam, aliquando foeminae pòſt, quàm cum *hyſteria* diu colluctatae ſunt, in morbum comitialem, furorem *uterinum*, vel febrem acutam incidunt.

3. Circuitus, denique, quo redeunt acceſſiones, perquam varius eſt. Foemina interdum, brevibus temporibus interpoſitis, in *hyſteriam* recidit; interdum haud facilè recidiva, longa intercapedine fruitur.

XXIV. Vaſto inteſtinorum murmure, et flatu ſurſum et deorſum erumpente, plerumque finitur acceſſio. Illico autem, poſt hanc finitam, integritas non redit. Aliquandiu univerſum utique corpus languidum eſt, et torpidum. Poſtea

tea autem aliquantò, arteriae, quae, inter acceſſionem, imbecilliter, exiliter, et inaequaliter movebantur, validiùs, molliùs, et pleniùs micant. In extremas ideo partes naturalis redit calor. Facies, haud ita pridem contracta et pallida, nunc explicatur, et amiſſum colorem redipiſcitur *. Flatus vel ſurſum vel deorſum ſolet erumpere. Nonnullae aegrae acida eructant: aliae, quibus coanguſtari videntur fauces, etiamnum aegrè et ſpirant, et cibum devorant. Aliquandiu, poſt finitam acceſſionem, convaleſcentibus dolet et quaſi gravatur caput; atque languet totum corpus, in primis femora et pedes. Foeminae, interea, ſocordes ſunt, animoque demiſſae †.

XXV. Redeunte poſtinde voce, rediviva ſed vixdum reſipiſcens foemina, honeſti oblita, non ſolùm commiſſa prodit, et aliena loquitur; ſed etiam

* Vid. HOFFMAN. *Oper. Omn.* tom. iii. ſect. 1. cap. V. § 1v.

† Vid. HOFFMAN. ibid.

etiam famae parum conſulens, tacenda ſimulque indecora, qualia ſubiratam DIANAM pigeat exaudire, effutit. Procul, interea, oh! procul eſtote profani homines; neque verbis auſcultatote, quae intutis poſtea credatis auribus, atque probae foeminae ludibrio temerè vertatis. Nihil dictu foedum ex his efferatur liminibus, intra quae eſt caſta puella.

DE CAUSIS.

XXVI. *CAUSÆ*, ex quibus proveniunt *hyſteriae* ſigna, in duo genera dividuntur: quorum unum *REMOTIORES* comprehendit; *PROPIOREM*, alterum. De utroque genere a nobis productiùs diſputandum eſt.

DE

DE REMOTIORIBUS.

XXVII. Ex remotioribus cauſis nonnullae corpus *hyſteriae* obnoxium reddunt; nonnullae, corpori obnoxio reddito admotae, hanc excitant. Illae *ſeminia*, ſive *cauſae praedisponentes*, appellantur; hae *noxae*, ſive *cauſae excitantes*. De utraque deinceps ſpecie, pauca dicenda ſunt.

DE SEMINIIS.

XXVIII. Conditio corporis, ob quam foeminae in *hyſteriam* proclives ſunt, videtur eſſe *nimia mobilitas*. Quaecunque igitur mobile corpus reddunt, ea utique ſeminia *hyſteriae* habenda ſunt. Hujuſmodi cauſarum praecipuae ſunt *irritabilitas nimia*, et *ſenſus nimis acer*.

XXIX. Morbida (xxviii.) irritabilitas enaſcitur e debilitate, et fibrarum muſculoſarum laxitate; quae profectò ipſae vel primigeniâ quadam ſolidarum partium conſtitutione pendent, vel cauſis quibuſdam corpori poſt partum admotis efficiuntur. Quale vel quid ſit illa conſtitutio, verbis explicatè definire nequimus. Quae verò, progrediente vita, corpus debilitant et reſolvunt, ea neutiquam adeo recondita ſunt. Ad hoc enim genus pertinent ignavia; ſanguis ex propriis vaſis ſive ſponte profuſus, ſive arte elicitus; magna fatigatio; multus *theae*, aliorumque aquoſorum tepidorum uſus; animus dejectus ſpe, ideoque diu moeſtus et demiſſus.

XXX. Senſus (xxviii.) nimis acer, unde, majore adhuc ex parte, pendeat ea mobilitas, quae foeminas in *hyſteriam* pronas facit, ſanguinis redundantiâ efficitur. En igitur cauſam, quare foeminae opulentae, ignavae, luxurioſè viventes, ideoque ſanguine plerumque nimis repletae,

prae

prae iis tenuiore loco natis, quae modico labore vitam tolerant, *hyſteriâ* plectantur. Hinc quoque patet, quamobrem hoc morbo tam ſaepe corripiantur virgines tenerae, aetate mobiles, roſeae, ſuccidae, quarum integer etiamnum eſt ſanguis; quibus flexanimis mens amore interdiu perfunditur; et quae nocte expetitos CUPIDINIS amplexus ſomniant.

NOXÆ,

XXXI. Ob quas opportunae foeminae in *hyſteriam* incidant, adeo variae ſunt, et quaſi multiformes, ut, in hujuſmodi diſputatiuncula omnes enarrare, nobis nec vacet nec lubeat. Satis enimvero in rem noſtram erit, praecipuas tantummodo perſtringere. Hujus generis, quas nobis in animo eſt recenſere, eae reſpiciunt vel ad *mentem* vel ad *corpus*. De utraque ſpecie, deinceps, quaedam dicenda ſunt.

XXXII.

XXXII. *SPECIES PRIMA.*—Ex perturbationibus mentis, quibus concitetur *hyſteria*, in primis memoranda eſt ira; quippe qua exaeſtuantes foeminae, in eam haud rarò incidant. Quapropter, conſtitutione cholericae et ſanguineae, quae plerumque iracundiores ſunt, prae caeteris ferme foeminis, cum *hyſteria* colluctantur.

XXXIII. *Hyſteriam* quoque efficit ea animi aegritudo, qua anguntur foeminae, quae indignis contumeliis laceſſitae ſunt, falſiſque opprobriis mordentur. Quàm ſaepe, ah, meherculè, durum eſt! virgines intactae, neque ullius probri ſibi conſciae, ſiquando, occaſiunculâ datâ, juvenis aliquis protervus, vel etiam praelatus quidam PYRAMUS, fragrantia ex roſcidis labris oſcula carpſerit, maledico oculeae invidiae dente in conviviis roduntur; in circulis vellicantur; neque rarò, prae aegritudine ne vagetur fama, eas pudicitiae parùm conſuluiſſe, extemplò *hyſteriâ* corripiuntur?

XXXIV.

XXXIV. Quinetiam interdum, prae gaudio, foeminae eundem in morbum incidunt. Neque profectò hoc mirum eſt; cùm praeſertim foeminae interdum gaudio moriantur. Ita eſſe, ſatis ſuperque probant matres duae ROMANÆ, quae, ad primum repentinumque conſpectum ex inſperato redeuntium ex clade ad TRASIMENUM accepta filiorum, gaudio nimio exanimatae ſunt *.

XXXV. Amor quoque, quo major nullus mentis humanae dominator eſt, ſive hanc ſerenare mavult, ſive commovere, *hyſteriam* nonnunquam concitat. Virgo enim, cujus cor, ut PLAUTI verbis loquar †, permadefecerit amor, varias in partes rapitur. Nunc mollis flamma eſt medullas; amatum videndo urit; atque ſpe compe-

riendi,

* Vid. TIT. LIV. PATAV. *Hiſtor. Roman.* lib. xxii. cap. VII.

† Vid. MARC. ACC. PLAUT. *Moſtell.* Act. i. Scen. ii. lin. 62.

riendi, quantis gaudiis conjugatos beet HYMEN, effertur: nunc zelotypiâ perculſa, dies angitur noctesque, ne beatior puella illi ſperata gaudia praeripiat; exſpes miſeraque, et animo marceſcit et corpore; vires quotidie defluunt; prae aequalibus, irritabilis evadit; et, ſiquando vultu ſpem ſimulet, altum interea corde premit dolorem. Et ſpes autem et metus, quae maleſanis amantium pectoribus injicit amor, haud raram *hyſteriae* occaſionem offerunt.

XXXVI. Necnon hyſteriam inducit horror, quo haud rarò implentur foeminae, quarum oculis foeda et averſanda repentè, et ex inopinatò, objiciuntur. Eaedem itaque cauſae, ob quas in animi deliquium incidunt foeminae aliae, aliis nonnunquam efficiunt hyſteriam. Crudelia ficta, et auditu viſuve foeda, quae theatra BRITANNICA nimis ſaepe dedecorant, neque virtutum igniculos et ſemina in animis foemineis alunt, alterutrum interdum morbum excitant. Fert

GREGORIUS,

GREGORIUS, ſe, dum LUTETIÆ PARISIORUM erat, in theatro adfuiſſe, cùm mulier, honeſto loco nata, ter hyſteriâ uſque eò corriperetur, ut, poſt unum alterumve diem, animam efflaret *.

XXXVII. Terror, porrò, hunc morbum nonnunquam concitat. Imo verò certiores nos facit PECHLINUS, mulierem generoſam, anno milleſimo ſexingenteſimo octogeſimo primo, crinitâ ſtellâ per tubum vitreum conſpectâ, tanto terrore affectam eſſe, ut paucis pòſt diebus naturae concederet †.

XXXVIII. His (xxxii.—xxxvii.) de mentis perturbationibus dictis, nunc quàm pauciſſimis diſputandum eſt de iis cauſis, quae *corporeae* appellantur,

* GREGOR. *Praelect. Clin.*

† Vid. PECHLIN. *Obſerv. Medic.* lib. iii. Obſerv. xxiii.

pellantur, et quae ad ſpeciem ſecundam ſuprà (xxxii.) dictam propriè pertinent.

XXXIX. *SPECIES SECUNDA.*—Intelligendum in primis eſt, *hyſteriam* haud rarò ſuppreſſis quibuſdam profluviis effici. Hujuſmodi, nominatim, ſunt menſes, haemorrhois, *lochia*, interdum etiam ipſa *leucorrhoea*, imo fonticuli et *ſetacea*. Cùm ita ſit, nihil eſt quamobrem miremur, mulieres, ſiquando, ob animi perturbationes, iis non provenerint menſtrua, in *hyſteriam* incidere.

XL. Calor itidem nimius, inter cauſas unde enaſcatur *hyſteria*, enumeratur; potiſſimùm, fortaſſe, is, quem efficit ſpiritus magnae vis hominum in theatris templiſve congregatorum. Hìc enim, praeter calorem, corruptus aër ipſe, qui neceſſariò inhalatur, committit interdum, ut animus deficiat; neque profectò vero abſimile eſt, per ſe itidem,

itidem, ad *hyſteriam* concitandam ſatis ſuperque pollere.

XLI. Quinetiam, nonnullae mulieres proclives adeo hunc in morbum ſunt, ut ei occaſionem dent quilibet ferme odores, ii imprimis *moſchi*, ſuccini, cinnamomi, aliorumque his conſimilium.

XLII. Vix, porrò, dubitandum eſt, quin ſoni ingrati, ſtridor velut ferri, interdum committant, ut in *hyſteriam* foeminae incidant; eoque minùs, quia hae, illis auditis, interdum dictis citiùs animi defectu afficiuntur. Generoſam memorat BOYLIUS, quae, quoties auribus ſonum tintinnabuli, aliumve quemvis clarum perceperat, ſolebat extemplò plecti animi defectione; quae mortem utique uſque eò ſimulabat, ut, utrùm eſſet, necne, emortua, judicari vix poſſet *.

* Vid. BOYL. *Uſefulneſs of Experiment. Philoſ.* part ii. p. 248.

XLIII. Effraenata, necnon, libido *hyſteriam* concitare dicitur, neque profectò eſt, quamobrem ita eſſe in dubio verſemur. Provenientem ex hac cauſa *hyſteriam* medici, neque forſitan perperam, *libidinoſam* cognominârunt.

DE CAUSA PROXIMA.

XLIV. Morborum, qui in nervis conſiſtunt, proximam cauſam penitùs cognoſcere, arduum imprimis eſt, imo humanas vires exſuperat. Neque enim intimam nervorum fabricam, neque quas qualeſve mutationes, progrediente vita, ſubeant, ſatis novimus. Res cùm ita ſit, vix operae pretium erit, multum temporis, de re adeo obſcura, terere.

XLV. Notis, quibus, deinceps, inſignitur *hyſteria*, adducti, cauſam, unde hae illico proveniant, eſſe conditionem quandam *ovariorum* et uteri

uteri opinamur. Nobis autem eſt confitendum, verbis, quid ſit haec conditio, vel quomodo ſigna tam mira edat, nos explicatè dicere non poſſe.

2. Hoc, neque profectò amplius, experientiâ conſtat, tantum conſortium eſſe inteſtinis cum utero, et huic cum *ovariis;* ut, his uteroque a ſanitate declinantibus, inteſtina plùs minùſve malè ſe habeant: atque, ob ſimilem, qui cerebro cum inteſtinis intercedit, conſenſum, his malè affectis, cerebrum ſimul laborare.

3. His (xlv. 2.) compreſſè dictis, quae nos condocefacit experientia, medicinae utique omniumque ſcientiarum miniſtra et praeceptrix, filere, quàm inania juveniliter effutire, malumus; eoque magis, quòd, hac de re, grandaevus ipſe CULLENUS, perſpicientiâ veri ſolertiâque nulli medicorum ſecundus, nihil, praeter meram opinionem, proferre poterat.

Aretæo visa est effici ab uteri migratione usque ad ventriculum et fauces

DE

Celsus Hysteriam enumeravit

DE DIAGNOSI.

XLVI. Nullus, praeter *Hypochondriaſin*, eſt morbus, cui cum *hyſteria* intercedit magna ſimilitudo. Licèt autem, inter ſe, perquam ſimiles ſint hi morbi; tamen animum in aetatem, ſexum, et temperamentum eorum quos, et in modum quo, afficiunt, intendendo internoſci poſſunt.

XLVII. 1. Juniores plerumque *hyſteriâ* corripiuntur; provectiores plerumque *hypochondriaſi*.

2. *Hypochondriaſi* mares ferme ſoli plectuntur; *hyſteriâ* ſolae ferme foeminae.

3. Eos temperamento melancholico, prae caeteris, tentat *hypochondriaſis*; eas, contrà, ſanguineo, *hyſteria*.

4. Breves,

4. Breves, denique, ſunt *hyſteriae* acceſſiones, et, interpoſitis temporibus, redeunt; diuturnus, contrà, et pertinax morbus eſt *hypochondriaſis*.

RATIO QUORUNDAM SIGNORUM.

XLVIII. Omnium ſignorum, quae conſpicimus inter *hyſteriae* acceſſionem, rationem reddere, nobis non in animo eſt. Hoc enim ſi aggrederemur, diſputatio noſtra in nimiam creſceret longitudinem. Cùm ita ſit, praecipua tantummodo ſigna perſtringemus.

XLIX. *SENSUS* (xx. 1.) *HEBETATI* vel *DEPRAVATI*—ſunt attribuendi debilitati cordis, quod, fatiſcente cerebro, ſanguinem idonea vi in caput propellere nequit. Minuto ſanguinis impetu, ideoque arteriis organorum, quorum eſt ſentire, non ſatis repletis et diſtentis, ſenſus,

cui

cui cum arteriarum diſtentionis gradu intercedit ratio, hebeſcit et depravatur.

L. *MOTUUM VOLUNTARIORUM* (xx. 2.) *FERIATIO*—cerebri nervorumque torpore efficitur. Ita eſſe, eo conſtat, quòd, cerebro reviviſcente, motus paulatim redintegrantur, et voluntati, ut naturaliter ſolent, denuo parent.

LI. *CORDIS PALPITATIO, CÆTERAQUE SIGNA* (xxi. 1.) memorata, ex minuta cerebri efficacia, rectà minùſve rectà, pendent; neque in meliùs profectò mutantur, donec, inclinante acceſſione, cerebrum aliquantùm revixerit.

LII. *SPIRITUS* (xxi. 2.) *IMBECILLIS*—eſt, ob debilitatem muſculorum, qui thoracem dilatant, viciſſimque coanguſtant.

LIII. *TUSSIS*—(xxi. 2.), quae aegrum vexat, efficiens cauſa eſt irritabilitas aucta muſculorum

lorum *laryngis*, ſimulque caeterorum qui reſpirationi inſerviunt; et fortaſſe inſolita *laryngis*, ob crebram reſpirationem et minutum ſanguinis impetum, ſiccitas. Tuſſim item concitat *globus hyſtericus laryngem* comprimens.

LIV. *SINGULTUS* (xxi. 2.) et *SPECIALIS SONUS*—ille *convulſivis* ſepti tranſverſi contractionibus, hic ſanè iiſdem ſimulque ſpaſtica muſculorum *laryngis* contractione, efficiuntur.

LV. *VOX* (xxi. 2.) *INTERCIDIT*—faucium ſpaſmo.

LVI. *CEREBRI TORPOR*,—ex quo pleraque ex ſignis ſuprà (xxi. 3.) memoratis rectà vel minùs rectà enaſcuntur, partim fortaſſe ex ſanguine per cerebrum languidiùs remiſſiùſque fluente, partim ex conſenſu, qui, ventriculi et inteſtinorum interventu, cerebro eſt cum utero et *ovariis*, pendet.

LVII.

LVII. *INTESTINORUM INFLATIO* et *MURMURA*, *GLOBUS*, aliaque ſigna ſuprà (xxii. 1.) comprehenſa,—retrorſo inteſtinorum motui, qui ipſe inexplicabili quodam inter inteſtina et uterum conſortio efficitur, ſunt, nobis judicibus, attribuenda.

LVIII. *EXCRETA* (xxii. 2. 3.), inter acceſſionem, ſupprimuntur—partim ſpaſmo muſculorum *ſphincterum*, partim arteriarum exhalantium. Ob illam cauſam, neque alvus neque urinae veſica aliquid reddit; ob hanc, areſcit cutis.

PROGNOSIS.

LIX. Hic morbus terribilis quidem aſpectu eſt; ſed rariſſimè lethifer. Interdum autem haud caret periculo. Qualis ſit eventus, ex aegro-

tae

tae aetate et corporis conſtitutione, judicandum eſt.

LX. Si aegra nondum pubeſcat, necdum ei vires fuerint alioquin fractae; vel ſi *hyſteria*, qua plectitur, alii cuilibet morbo ſupervenerit; felicem eventum expectare liceat.

LXI. Sin aegra aetate provecta ſit; vel, ob labem a parentibus acceptam, huic morbo opportuna ſit; curatio rara et difficillima erit. Ægerrimè etiam depelletur *hyſteria*, ſi diu perſtiterit, et, ſaepe graviterque impetum faciendo, vires jam permultùm convulſerit; vel ſi, ob corpus ſanguine perquam repletum, foemina in eam inciderit; vel, denique, ſi eâdem, prae magna vi ſanguinis amiſſa, nimia imprimis menſtruali purgatione, tentata ſit *. Quinimo ſanatu difficilis eſt *hyſteria*, quam effraena libido primùm concitaverit, etiamnumque concitet.

* Vid. ROBERT. GROAT. *Diſſert. Med. Inaug. De Hyſteria*, EDIN. ann. M,DCC,XXXIII. pag. 25.

LXII. Certiores nos facit SYDENHAMUS, hydrope teſtium interdum affici eas foeminas, quae *hyſteriâ* jam diutius laboraverint. Hanc ob affectionem, ſteriles fiunt. Teſtium, porrò, fabrica prorſus ferme deletur; indèque gignuntur ſerum et ſanies, quae in tunicarum interſtitia ſe inſinuantia, illos in molem ingentem elevant; id profectò, quod cernitur in ſectis cadaveribus earum, quas *hyſteria* peremerit *.

RATIO MEDENDI.

LXIII. Haec duo conſilia complectitur; quorum *unum* ad ea ſpectat, quae, per intervalla, facienda ſunt, ne redeat morbus; *alterum* ad ea, quae facienda, quò acceſſio, quoties accedat, finiatur.

* Vid. SYDENHAM. *Oper. Univerſ.* p. 402.

CONSILIUM

CONSILIUM PRIMUM.

LXIV. Ne redeat *hyſteria*, praecavendi cauſa, vitanda ſunt omnia, quae eam concitare ſolent; ſimulque corrigenda ea corporis conſtitutio, ex qua in eam proclivitas pendet.

LXV. De iis, quae *hyſteriam* concitant, multa dicere non opus eſt; eoque minùs, quòd omnibus ferme foeminis nota ſunt, et, adhibitâ idoneâ curâ, plerumque vitari poſſunt.

LXVI. Quod ad corporis attinet conſtitutionem, ob quam *hyſteriae* opportunae ſunt foeminae, ea, ſi modò poſſit, corrigenda. Hoc conſilio minuenda eſt mobilitas corporis nimia, ſive haec a *DEBILITATE* pendeat, ſive *PLENITUDINE*.

LXVII.

LXVII. Si, prae *DEBILITATE*, mobilis ſit foemina, eamque ob rem, *hyſteriae* obnoxia; firmandum eſt ei corpus *REGIMINE IDONEO* et *MEDICAMENTIS*.

LXVIII. Quod ad *REGIMEN* attinet, intelligendum eſt, rationem *DIÆTÆ* et *EXERCITATIONIS* ſemper quàm maximam habendam.

1. *CIBUS* debet eſſe ex valente materia, qualiſque corpus ſatis nutriat. Liceat itaque carnes modicâ quantitate aſſumere. *POTUM* ſimul meraciorem eſſe oportet. Quocirca, a modico vini uſu foemina neutiquam interdicenda eſt.

2. Quin et, per intercapedines *hyſteriae*, multùm ad firmandum corpus pollet *IDONEA EXERCITATIO*. Foeminis, quae, prae debilitate et laxitate, mobiles ſunt, multùm utique proficiet, ambulare identidem ſub dio; geſtari; et etiam,

etiam, propriis manibus flores carpendo vel curando, ſeſe oblectare.

LXX. Solitum etiam, per intervalla, eſt ad *MEDICAMENTA*, quae *hyſteriam* praecaverent, confugere. Aqua, cocta ex radice *VALERIANÆ AGRESTIS*, olim multùm pollere exiſtimata eſt. Hodie autem ad eam rarò ab *hyſteriae* opportunis decurritur; propterea quòd, contra obvenientem hunc morbum, parùm utique poſſe videtur.

LXX. Nihil plùs, ad corpus firmandum, valet, quàm *BALNEUM FRIGIDUM*. In hoc igitur identidem, per intervalla, deſcendere, foeminas in *hyſteriam* proclives oportet. Si in propinquo ſit mare, in aquam marinam, quàm in aquam dulcem, deſcenſio plùs proderit. Quòd ſi, in mediterraneis regionibus, vitam agant foeminae *hyſteriae* opportunae, aquâ frigidâ dulci ſua corpora frequenter abluant. Hoc enim facto,

LXVII. Si, prae *DEBILITATE*, mobilis ſit foemina, eamque ob rem, *hyſteriae* obnoxia; firmandum eſt ei corpus *REGIMINE IDONEO* et *MEDICAMENTIS*.

LXVIII. Quod ad *REGIMEN* attinet, intelligendum eſt, rationem *DIÆTÆ* et *EXERCITATIONIS* ſemper quàm maximam habendam.

1. *CIBUS* debet eſſe ex valente materia, qualiſque corpus ſatis nutriat. Liceat itaque carnes modicâ quantitate aſſumere. *POTUM* ſimul meraciorem eſſe oportet. Quocirca, a modico vini uſu foemina neutiquam interdicenda eſt.

2. Quin et, per intercapedines *hyſteriae*, multùm ad firmandum corpus pollet *IDONEA EXERCITATIO*. Foeminis, quae, prae debilitate et laxitate, mobiles ſunt, multùm utique proficiet, ambulare identidem ſub dio; geſtari; et etiam,

etiam, propriis manibus flores carpendo vel curando, ſeſe oblectare.

LXIX. Solitum etiam, per intervalla, eſt ad *MEDICAMENTA*, quae *hyſteriam* praecaverent, confugere. Aqua, cocta ex radice *VALERIANÆ AGRESTIS*, olim multùm pollere exiſtimata eſt. Hodie autem ad eam rarò ab *hyſteriae* opportunis decurritur; propterea quòd, contra obvenientem hunc morbum, parùm utique poſſe videtur.

LXX. Nihil plùs, ad corpus firmandum, valet, quàm *BALNEUM FRIGIDUM*. In hoc igitur identidem, per intervalla, deſcendere, foeminas in *hyſteriam* proclives oportet. Si in propinquo ſit mare, in aquam marinam, quàm in aquam dulcem, deſcenſio plùs proderit. Quòd ſi, in mediterraneis regionibus, vitam agant foeminae *hyſteriae* opportunae, aquâ frigidâ dulci ſua corpora frequenter abluant. Hoc enim facto,

to, et corpore ſe meliùs habebunt, et mente: quàm enim verè quàmque appoſitè cecinit Muſa caſta, nitidiſſima, virtutis miniſtra, vitiorumque expultrix?

" *Even, from the body's purity, the mind*
" *Receives a ſecret ſympathetic aid.*"

THOMSON.

LXXI. Quin et, praeparata ex *METALLIS* quibuſdam, imprimis *FERRO* et *CUPRO*, ſi, per intervalla, adhibeantur; necnon medicamenta quaedam, ex iis quae *ASTRINGUNT* aut *AMARA* ſunt; multùm contra *hyſteriam* pollere, nonnulli medicorum exiſtimant. Sed profectò tantum abeſt, ut haec medicamenta ſemper reſpondeant, ut ſaepenumero omnino fallant.

LXXII. Multum quoque, ad arcendam *hyſteriam*, poteſt *ASA FOETIDA*. Certiores enim nos facit WRIGHTIUS, medicus utique exercitatus

citatus et fide praeclarus, qui JAMAICÆ diu medicinam proſperrimè fecit, et etiamnum EDINBURGI facit, ſe, ut *hyſteriae* obſiſteret, catapotia ex hoc medicamento praeparata, multos per annos, adhibenda peroptatò curâſſe. Nihil itaque novimus, quamobrem indè auxilium non, per intervalla, petatur.

LXXIII. Sin mobilitas, quae foemina *hyſteriae* obnoxias reddit, nimia corporis *PLENITUDINE* efficiatur, corrigenda eſt, partim *ABSTINENDO*, partim corpus leniter *EXINANIENDO*.

LXXIV. Quibus ſeſe *ABSTINERE* debent foeminae ſanguine nimis repletae, quae *hyſteriae* patent, ea ſunt *CIBUS NIMIS NUTRIENS* et *POTUS MERACIOR*.

LXXV. 1. *CIBUS* conſtare debet, maxima ex parte, ex materia media, frugibus nempe farracei

racei generis et lacte. Carnes, venatio, piſcatus, quippe quae corpora impleant et pinguefaciant, vel non omnino, vel ſaltem quàm parciſſimè, aſſumi debent.

2. *POTUM* dilutiorem eſſe oportet; qualis neque corpus multùm incitet, neque nimis opimet. Quocirca, interdicendae ſunt ſanguinis plenae vinis meracioribus; merobibae enim, prae caeteris, *hyſteriâ* plectuntur.

LXXVI. Quae (lxxiii.) *EXCRETA*, plenitudinem minuendi cauſa, ſunt augenda, ea *ALVI* et *CUTIS* ſunt.

LXXVII. 1. *ALVUS* movenda eſt diaeta, ſi poſſit; ſin minùs, medicamentis, ex iis quae inteſtina craſſiora leniter ſtimulant.

2. *HALITUS CUTIS* optimè elici poteſt exercitatione,

ercitatione, ambulatiunculâ imprimis, aut equitatione. Ornatè dixit Poeta :·

" *Health is the vital principle of bliſs,*
" *And exerciſe of health.*"

THOMSON.

Hujuſmodi exercitatio plùs proderit, ſi per amoena loca eatur ; quibus novitas rerum, quae oculis, deinceps, objiciantur, triſtitiam pellat, mentemque oblectet.

CONSILIUM SECUNDUM.

LXXVIII. Ad quae medicamenta eſt, urgente *hyſteriâ*, decurrendum, ea ſunt, quae *INCITANT*, vel *SPASMUM SOLVUNT*. Utriuſque generis perpauca memorare, in rem noſtram, ſat erit. Eſt autem obiter intelligendum, omnia ferme medicamenta, quae ſpaſmum ſol-

vunt, plùs minùſve incitare; viciſſimque, pleraque quae incitant, ſpaſmum plùs minùſve ſolvere.

LXXIX. Ad *INCITANTIUM* genus propriè pertinent *aether vitriolicus*, *camphora*, *ignis electreus*, *alcali volatile*.

1. *Ætherem vitriolicum*—inſigni, contra *hyſteriam*, alioſque morbos ſpaſticos, vi pollere, a nemine medicorum neſcitur. Ejus profectò effectus fugaces ſunt; ſed praeſentaneum levamen affert, eamque ob rem, primo quoque tempore adhibendus eſt, donec aegrota ad ſe uſque eò rediverit, ut ad ea, quae diuturniores effectus edant, decurri poſſit. Si aegra devorare poteſt, plurimùm proderit in ventriculum aſſumptus; ſin minùs, temporibus infricandus eſt, vel naribus admovendus.

2. *Camphora*—adeo et incitandi, et ſpaſmum ſolvendi,

ſolvendi, vi pollet, ut, rectè an perperam incitantibus annumeraverim, animo incertus ſim. HOMIO teſte, *hyſteriam* et ſingultum fugavit *. Quinetiam paralyſin unius lateris, poſt alia incaſſum tentata, depuliſſe dicitur †.

3. *Ignis*, porrò, *electrinus—hyſteria* laborantibus, ſaepe plurimùm, teſte HOPPIO, profecit ‡. Neque hoc mirandum eſt; praeſertim cùm, ut certiores nos faciunt HAENUS §, HOMIUS ‖, et GREGORIUS **, *choream* SANCTI VITI ſanaverit. Ejus quoque ope, morbum comitialem ad ſanitatem perduxit LINDHOLTIUS. Quinimo ejuſdem in ſpaſticis morbis efficaciam

* Vid. Hom. *Clinic. Exper.* p. 183.

† Vid. ROBERT. GROAT. *Diſſert. Inaug. de Hyſter.* p. 29.

‡ Vid. *Valetudinar. Edinburgen.* Ægrot. Tabul.

§ Vid. HAEN. *Rat. Medend.*

‖ Vid. *Valetudinar. Edinburgen.* Ægrot. Tabul.

** Vid. Ibid.

efficaciam HOFFMANNUS ſummis laudibus proſecutus eſt.

4. *Alcali*, denique, *volatile*—naribus ſubjectum, haud aſpernandum, contra *hyſteriam*, auxilium affert. Prodeſt itidem fumus ex uſtis pennis, ſi aſcenſu nares introeat.

LXXX. In genere eorum, quae *SPASMUM SOLVUNT*, ponenda ſunt, *opium; moſchus; aſa foetida; hyoſcyamus; artimeſia; valeriana; caſtoreum; fomenta*; et corpus, inguinibus tenus genibuſve, in *balneum tepidum* immerſum: ſed de his ſingulatim et fuſè dicere non opus eſt, cùm praeſertim jam ſatis ſuperque longi fuerimus.

FINIS.

Med Hist
W4
E23
1794
K.2